

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciōiōCCCCXIII.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.



23  
A. A. C. C.  
DISPUTATIO  
EXERCITATIONUM PHILO  
SOPHICARUM XXIII.

De  
CORPORE HUMA-  
NO, DEQUE MEMBRIS NUTRITIO-  
NIS AC GENERATIONIS.

Quam,  
*Aspirante benigne Altissimo,*  
SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

V Vitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,  
*Liberalis exercitij gratiâ defendendam suscipiet,*  
MICHAEL HERMANNUS  
Uratislaviensis Silesius

*In celeberrimâ V Vittebergensi Academiâ,*  
*ad diem 20. Octobr. horis 8. loco solitis.*  
Trismegist. ad Asclep.

*Magnum miraculum est HOMO, animal adorandum & ho-  
norandum, quod in naturam Dei transit, quasi ipse sit*  
DEVS.

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni, Anno 1610.



V I R I S

*Nobilissimis, Amplissimis & Con-  
sultissimis*

Dn.. I A C O B O K E T S C H E R  
â Grûnaich in Tshanisch

Dn.. C A S P A R O K E T S C H E R  
â Großschottkauff in Born

*Laudatissima Uratislaviensium Reipub.  
Senatoribus dignissimis*

Dominis & Patronis suis Ho-  
norandis

*ῥόμνασμα hoc Φρονῶν, perpetuum debita gra-  
titudinis monumentum*

Sacrat

Michaël Hermannus Ura-  
tislaviensis  
*Respondens.*

P R Æ L O Q V I U M.

**R**egem olim Lydorum opulentissimum Cræsum, petendi oraculū  
 causā Delphos misisse. Historiarum memorant monumenta, qui ex Deo ( in  
 recte autem) ibidem responsa quærentibus danti, sciscitarentur non levicu-  
 lum quiddam nugatoriorumvè, ut aliās ille solenne obtinebat, sed rem o-  
 mniū multo maximam, multo dignissimam, in quā cognoscendā plurimum ab omnibus o-  
 peræ ac studij collocetur, qui scilicet felicitatem consequi, & quid agens, id quod supere-  
 rat ætatis beatissimè transigere posset: Responsum autem ei redditum est longè præclari-  
 mum, & illā, quæ tum temporis de Apollinis sapientia vigens erat constansq; opinione di-  
 gnissimum; Non si maximos auri argentiq; æceruos extrueres, non si multos exercitus ale-  
 ret, non si terminos imperij sui longè latèq; proferret, verū tale, Σαυτὸν γινώσκων,  
 Ὀδαίμων Κερίσε περὶ σεις, Xenoph. lib. 7. de pædia Cyri. Quo ipso nemini  
 non inobscure intelligi datur, magnum quoddam bonum esse S V I cognitionem, inq; eo lo-  
 catum fundamentum vel maximè felicitatis, ac primum rerum, quotquot sunt, omnium  
 punctum obtinere: Nec temere Vt enim univèrsa corporis pulchritudo, univèrsaq; sanitas,  
 sanitati & pulchritudini præstat partium: Ita Hominis, qui compendium non inrecte vo-  
 citatur rerum omnium, Scalig. Exere 250 quiq; quodammodo omnia est, Idem Ibid. co-  
 gnitio aliis in parte perpensis rebus longè antecellit, illasq; multis post se parasangis relin-  
 quit. Est me-Christe hæc metropolis quasi aliarum contemplationum, est corona, est fasti-  
 gium: Est speculum purum, in quo DEI sapientia, omnipotentia, providentia nimis clare  
 advertitur: Est Mercurialis ad instar statuæ, viam actionum congruarum, virtutum lau-  
 datissimè indicans: Est hæc unius verbi nota, reliquis disciplinis id, quod anima est corpori.  
 Quod cum ita habeat se omnibus viribus, omnib; q; sedulitatis nervis elaborandum No-  
 bis est, ut cognitionem Nostri consequamur, & ut Homo se habeat intento animo confi-  
 deremus, maxime cum exactior ordinis ratio, quam hactenus stridit in Exercitationibus  
 nostris observavimus, non tam ad id invitet pro-palam Nos, quam manifestò manu du-  
 cat: Ideo, hac equidem vice generalem Hominis, ejusq; deinde Corporis, considerationem  
 instituere, & de membris nutritionis ac generationis rudi Minervā, tribusq; agere ver-  
 bis, animum induximus, & sane in insequentibus thematibus.

T H E S I S I.

**V**T à capite, sic ajunt, rem deducamus totam, àq; suo derivemus fonte,  
 Homo, ab humanitate sic dictus, cum eo nullum toto complexu rerum  
 humanius animal sit inventu, sit civilius item, magisq; flexibile repertu; est  
 animal rationis particeps: Quandoquidem substantia est h. bens utensq;  
 sensibus, lib. 3. de part. an. c. 4. ac ipsi in peculiū unicè data concessavè Ratio.

II. Hinc ex facili dignitas Hominis præstanti q; dijudicari potest, quæ  
 eò elucet magis tum ex ejus creatione, quæ partim immediatè à Dei quasi  
 digitis per acta, partim non nisi consilio Sacro sanctæ Trinitatis præmissa insti-  
 tuta, partim ad ipsius Dei Imaginem disposita; Tum è donis menti humanæ  
 inditis, ut est stupēda cogitationum celeritas, facultas numerandi, memoriæ

capacitas, ad cognoscenda tum Universalia, tum particularia proclivitas, libertas voluntatis &c. Tum deniq; quod sit mensura & regula animantium omnium, finisq; cunctarum creaturarum.

III. Constat autem Ille è duabus Essentialibus partibus, ex Animâ nimirum & Corpore, quarum illa refert formam, hoc materiam, unde tantum toto unionis tempore colunt sanctè amicitiam, ut corpus sine animâ possit nihil, & anima corporis sui vires suscitaret, gubernet, sustentet, corpus animæ hospitium gratum & accommodatum sit instrumentum, per quod facultates suas edat, proferatq;.

IV. Animæ cognitio licet corporis longè sit nobilior, interim tamen parafangis benè multis cum sit difficilior, à corporis tractatione omninò auspicandum, quod est altera hominis pars, ex propagatione parentum seminumq; legitimâ commixtione efformata secundum erectam staturam, varijs partibus ac viribus instructa, animæq; unionis tempore hospitium & instrumentum.

V. Ex definitione hac parili ratione Corporis humani dignitas ac præstantia sit manifestaria, quæ ex his maximè etiam conspicua notis, 1. Ex erectâ ejus staturâ pulcherr. & spectatiss: quæ provenit tum à caloris magnitudine, quâ efformatum quâq; pollet, tum à delicatâ, aëreâ spumosaq; ex quâ constructum materiâ, tum à formâ ejus nobiliss: quæ talem etiam flagitat abat figuram &c.

VI. Deinde ex nobilitate, perfectione & absolute sensuum tam interiorum quàm exteriorum, lib. 5. de gen. anim. c. 2. Tandem ex præstantia temperamenti, quod quàm proximè ad æqualitatem qualitatum primarum accedit, cum interim pleraq; animalia nimis remotè ab ea secedant, unde & Homo caret partibus crassioribus, quibus conspicua & armata sunt bruta, ut cornibus, duris ungulis &c.

VII. Secatur verò commodè n corpus Humanum in extrema seu artus ut sunt pedes & brachia, quæ velut rami trunco corpori adnascuntur: Et in tres Regiones, Supremam, ut est caput, quod animalia; Mediam, quæ in thorace residet, & vitalia; Et Imam, quæ à diaphragmate usq; ad os pubis procedit, & Naturalia organa habet.

VIII. Speciatim autem partes corporis, quæ sc. toti coherent, communiq; conjunctæ vitæ, certo temperamento, figurâ & situ præditæ, ac ad illius functionem usumvè comparatæ; Sunt vel continentæ, vel contentæ: Continentes, ut cutis, quæ pars est corporis similis totum ambiens corpus vimq; habens sentiendi.

IX. Existit

**IX.** Existit namq; tactus organum proprium, quam etiam ob causam omnium est partium temperatissima, ac intermediam sortita naturam inter carnem nervumq;: Ex diversa eius substantiâ & connexionem varia obtinet accidentia; Ita enim aliubi mollis ac tenuis est, aliubi dura reperitur, interdum imprimitur & inequalis est, interdum prominere & equalis existit, quaedam movetur, quaedam immobilis consistit &c.

**X.** Annexas habet alias sibi partes, tum Cuticulam, quæ est cutis vera excremento crassiore constat, quæq; soli Homini ad ornamentum magè quam tutamentum concessa: Tum Membranam carnosam, quæ totum ambit corpus, pertinaciterq; substratos continet musculos; Tum pinguedinem, quæ ex sanguine puro ac superfluo, inq; transmutato aëream substantiâ congelatur.

**XI.** De hac varia offerunt se controversiuncula, maximè an partis animata & viventis nomine exprimenda sit? Vbi Negativam per omnia tenemus: Et deinde an frigore an calore concreseat? Vbi adserimus fieri eam à frigido quidem, tamen non actuali (hoc enim in viventibus non datur) sed quod minus Calidum vulgò dicitur, qualis deprehenditur calor in membranis nervosis, quibus etiam potiss: ipsa pinguedo adhaerescit.

**XII.** Est demum cutis subjectam quoq; Pilorum, qui excrementa sunt, per cutis poros exeuntia, àq; fumo frigido & sicco originem derivantia, qui fumus à calore ex ultimo partium alimento elicitur: Quâ ratione corpus ut ornant, sic ab excrementiciâ purgant fulgine. Illorum varia est ratio: Nam ob materiae diversitatem alij sunt congeniti, alij postgeniti; Ob caloris varietatem alij plani, alij crispi; Ob humorum disparitatem alij albi, alij nigri &c.

**XIII.** Inter illos autem præcipue advertuntur Capilli & Barba: Illi è fuliginibus qui è cerebro ascendunt progenerantur, quam ob rem in suspensis tam diu crescere non desinunt, quam diu cerebrum adsit; Hac in facie certo tempore ob genitalium caliditatem propullulat, ut sit præbeatq; ornamentum.

**XIV.** Capillorum affectio peculiaris est tum Canities, quæ Homini tantum propria, quæq; ex inopiâ nativi caloris, humores ritè haur valentis regere, contingit: Tam calvitium, quo pilis caput orbatur ob inopiam humiditatis calidi pinguis; Vnde mulieres, Eunuchi & pueri ab vitio hoc penitus immunnes sunt, soli viri, etate profectioris ipsi succumbunt. Hac de cute.

**XV.** Porro contentæ partes sunt vel solida, vel fluida: Illæ iterum vel similes sunt, vel dissimiles. Illarum hæc est natura, ut portio minima nomen servet totius: Et sunt vel spermatica, eaq; aut fragiles, ut Ossæ, quæ generantur è seminis portione crassissimâ, quam calor indurat remissus flectendi & conservandi corporis gratiâ.

XVI. Frigidiss: obtinent naturam, sensuq; penitus carent omni, ac medullâ, quæ in concavitatibus habent, nutriantur: Eorundemq; tres constitui comm dùm possunt classes; 1. enim sunt capitis ossa 70, quæ per suturas quinq;, & quibus fuligines transeunt corporis, connectuntur. Recensemus autem hic & dent s, qui omninò ossa sunt, licet sentiant, crescant, carieq; minimè tententur.

XVII. 2. Sunt trunci ossa 65. quæ aut spinam vertebra constituant, compositam ex vertebra cervicis, thoracis, lumborum, ossis sacri & coccygis: Aut sunt vel juguli, vel scapula, vel pectoris, vel costæ, quæ tam in viris, quam in mulieribus numero pari, vid. 24. reperiuntur. 3. Sunt artuum, vel manuum, scil. 84. si ossa sesamidis 12. addas, vel pedum, nim. 90. si pari ratione sesamida adjiciantur.

XVIII. Aut spermatica partes similes sunt ductiles, ut Cartilago, quæ ossibus mollior paulùm, quæq; custodit motui partes destinatas; Ligamentum, quod cartilagine adhuc mollius, & ossa inter se connectit, reliquasq; ossibus partes; Membrana, quæ partes tegit singulas; Vena, quæ unica constat tunica, fibris triplicibus contexta, & sanguinem unà cum spiritu naturali singulis partibus defert.

XIX. Arteria, quæ duplici, eaq; crassissimâ constat tunica, ac quæ spiritum vitalem deducit, ac ad temperandum & expurgandum Cordis & singularum partium calorem conducit; Et tandem Nervus, qui interiori est parte medullaris, exteriore membranæ, quiq; spiritum animale defert ad sensum & motum. Tantùm de partibus similaribus.

XX. Caterùm inter dissimiles seu organicas, quæ perfectam edunt actionem, primitus occurrunt membra Nutritionis & Generationis. Illorum alia sunt primaria, alia secundaria. Primaria, ut ventriculus & Epar: Ille pars est membranosa, cava, spherica, duabus membranis proprijs constans, nutrimentumq; ingestum proprio calore actioneq; in chylum convertens.

XXI. Orificia duo habet, quorum alterum superius stomachus dicitur, sedesq; est appetentia famisq; animalis; Alterum inferius, quod lanitor dicitur, eò quod prolaberia è ventriculo alimenta tanquam ostiarius quidam prohibeat: Et quamvis ventriculus impensè delectetur chylo, interim tamen ad modum reliquarum membranarum, eundem sanguine puro ali omninò cum Galeno existimamus.

XXII. Epar, pars est organica infimi ventris, carne constans rubra, tenuiss: tecta membrana, ac sanguinis officina: Non enim tantùm chylum alterat, sed & in chymum seu sanguinem verum transmutat, ipsiq; colorem



unicè addit rubrum; Fons est omnium corporis totius venarum, quæ ex eo (minimè corde, ut Ar. habet placitum, l. 1. de part. an c. 11. & l. 2. c. 9. l. 2. de gen. an. c. 4. l. 3. de hist. an. c. 3.) tanquam rivuli in universum derivantur corpus, quod ex illis irrigatur, satisq; laute alitur.

XXIII. Primaria hæc nutritionis membra in subsidium alia administrantia vocant membra; Et Venter quidem, Tum Oesophagum, qui canalus est cibum & potum ad ventriculum vehens; Tum Omentum, quæ membrana à Peritoneo orta proximè ventriculum tegit, ejusq; calorem fovet; Tum Peritoneum, quod omnia infimi ventris viscera involuit, dorsoq; alligat. Epar verò ipsas venas, maximè Portam, quæ Chylum per mesaraicas ad Iecoris concavum defert; Et deinde Cavam, quæ sanguinem crassiorem pro nutrimento singulis partibus affert.

XXIV. Et sic primaria nutritionis se habent membra: Secundaria sunt, quæ secundariò nutritioni inserviunt, vel præparando, vel evehendo. Præparantia membra sunt Intestina, quæ sunt oblonga, rotunda & concava corpora, alterandis aliquantùm cibus, distribuendq; in Iecur chylo, & ad superfluitates evehendis, instituta.

XXV. Suntq; aut Gracilia, quorum tenuior, & sunt superiora tria, Duodenum, Jejunum & Ileos: Aut crassa, quorum est substantia crassior, & sunt inferiora tria, Cecum, Colon, Rectum. In medio intestinorum situs est panniculus, qui Mesenterium dicitur, intestina colligans & connectens.

XXVI. Evehentia membra, quæ excrementa secundæ concoctionis educunt, sunt quatuor: 1. Folliculus fellis, quæ est vesicula in Epate consistens, & ex illo bilem trahens, non nutritionis gratiâ, sed ut illam in intestina propellat, quo illa à pituitosa materiâ mundetur, expellaturq; chylus in Mesaraicas, ne in gyris intestinorum diutius hæreat.

XXVII. 2. Lien, estq; membrum rarum, fungosum, carne obscurâ constans, ex Epate bilem atram attrahens, non puram, sed utili sanguinis succo permixtam, quo nutritur. Illius verò atræ bilis portio panè maxima in ventriculi fundum infertur ad excitandam appetentiam, atq; ad ventriculû constrictionem, quo cibos eò melius foveat, coquatq;.

XXVIII. 3. Renes, qui partes sunt carnosæ, densæ & maximè solidæ, excipientes serosum excrementum è vena cava: Inserviunt huic rei tum Venæ emulgentes, quæ è cava oriuntur, & ipsi renum substantia inseruntur, superfluitatemq; ex sanguine ad renes transvehunt; Tum Vreteres, qui orti ex lacunis renum, urinam, vi renum secretam in vesicam deducunt.

XXIX.

XXIX. 4. Vesica, quae est pars nervosa, duabus tunicis constans triplici  
fibrarum genere intertexta, rotunda, & aliquantum oblonga, urinam ab  
preteritis advectam excipiens, & foras excernens: Ejus sunt partes duae,  
fundus & cervix; In illo urina continetur, quae sensim in carnosiore cervi-  
cem desinit, quae habet musculum quo constringitur, ut involuntarius urinae  
fluxus cohibeatur. Tantum brevissime de membris Nutritionis.

XXX. Ultimo membra Generationis sunt aut utriusque sexui communia, &  
iterum existunt vel principalia, quae agunt principaliter, vel preparando Se-  
men, (quod est utilis superfluitas sanguinei alimenti, quodque minime ab o-  
mnibus partibus, sed a testibus tantum est deciduum) ut Testiculi, qui sunt  
partes molles, glandulosae, albae & cavernosae, in quibus Semen excogitur &  
perficitur; vel conservando, ut Parastatae, qui sunt duo corpora glandulosa ad  
finem penis posita, ut asservent semen in testibus coctum.

XXXI. Vel sunt ministra, quae minus agunt principaliter, ut vasa sper-  
matica, quae sunt duo canales ex vena & arteria, qui materiam pro semine  
ad testiculos advehunt: Et corpora varicosa, quae sunt canales crassi ac ansra-  
ctuosi, qui a singulis testibus egrediuntur, atque ascendentes ad vesicam refle-  
ctuntur, ut deferant semen ex testiculis in parastatas.

XXXII. Aut membra generationis sunt uni sexui mancipata, ut viris  
est virga, urinae inserviens & seminis emissioni, ejusque fit inflatio motu tum  
animali, tum naturali, accedente materia calida & spirituosae: Feminis est  
Uterus, qui est pars membranosa & rotunda, insita vi ex semine prolifico fe-  
tum efformans, fovens, & maturum excludens.


XXXIII. Affectio ejus dicitur Menstruum, quod est excrementum alimenti ultimi  
partium carnosarum, quod certis periodis moderata quantitate expurgatur per uterum ad  
animalis generationem & nutrimentum: Redundat hic sanguis in muliebri natura tum ob  
debiliorem ejus calorem, tum ob carniarum laxitatem; Qua ratione non omni fluxus ille con-  
tingit aetate, sed plerumque secundo septenario incipit, septimoque desinit septenario. Veram  
has vice vela contemplationum contrahere, terramque legere juvat.

#### A D J E C T A N E A.

1. Homine moralium in orbe nil felicius, eoque nil infelicius. 2. Eundem ludum esse  
Deorum recte dixit Plato, in 1 & 7 de II. 3. Principes in corpore partes sunt Epar, Cor,  
Cerebrum. 4. Hematicae partes calidiores multo sunt spermaticae. 5. Et haec spermaticae nun-  
quam rite coalescunt aut perfecte humectantur. 6. Non abs re dictum, Splen ridere facit  
cogit amare jecur. 7. Mulieres omnino semen gignunt & illud emittunt. 8. Morbilli &  
variola non fiunt ex sanguine menstruo. 9. Hicque non qualitate aliqua peccat, quae talis, no-  
civusve est. 10. Membrana, quae vulgo Hymen vocatur, virginis nullo modo signum est.

F I N I S.

xponen  
ec audia  
es, meras  
ceptui ca  
uincorum  
vocantes, ut  
quibus se  
sua sua sa  
errantes,  
r nomen  
im in coe  
, & cur  
ectis nos  
semper  
Fili san  
primum  
Trinitate  
ratia





Umg. VI 26


= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17






Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



A. A. C. C.  
 P R Æ T A T I O  
 TIONUM PHILO  
 CARUM XXIII.  
 De  
 ORE HUMANA-  
 MEMBRIS NUTRITIO-  
 GENERATIONIS.  
 Quam,  
 te benigne Altissimo,  
 B PRÆSIDIO  
 Æ T I L E M A N I  
 Colleg. Philos. Adjuncti,  
 y gratiâ defendendam suscipiet,  
 L H E R M A N N U S  
 laviensis Silesius  
 Wittebergensi Academiâ,  
 Octobr. horis & loco solitis,  
 negist. ad Asclep.  
 HOMO, animal adorandum & ho-  
 in naturam Dei transit, quasi ipse sit  
 DEVS.  
 WITTEBERGÆ  
 a Johannis Gormanni, Anno 1610.

